

*De pulsione Boum per portum Buccari.*

Articulus 70.

De pulsione Boum etiam, per portum Buccari; maneant Articuli desuper conditi; statutum est. \*)

*Commissio super restitutione Castri Berlegh (Berlog), aliisque controversiis et metis complanandis; instituta.*

Articulus 71.

De Metis et Gravaminibus ac Territoriis, reliquisque in Articulo 32. Anni 1649. contentis; renovatur idem Articulus (addito etiam Gravamine Spectabilis ac Magnifici Comitis Georgii de Frangepanibus a Tersath, super restitutione Castri Berlegh) super quibus Commissio antea ordinata reassumatur:

§. 1. Ad quam ex parte Regni; Reverendissimus Petrus Mariani, Segniensis et Modrussiensis Episcopus: Ac Magnus Sigismundus Keglevith: Nec non Generosus Caspar Orehoczy, Vice-Banus; per Status et Ordines Regni, Commissarii denominantur. \*\*)

*Causa Zeleniana, contra Familiam Kerechenianam foeminei Sexus mota, rejicitur ad suum competens forum.*

Articulus 72.

Quoniam Causa Zeleniana, contra Familiam Kerechenianam foeminei Sexus hominum, per Magnificum olim Thomam Mikulicz, coram Egregio Joanne Ruchich, Vice-Comite Comitatus Zagrabiensis, penes breves Articulos intentata in Anno Domini 1647. et Anno 1649. in publica hujus Regni Diaeta ad suum competens Forum, Sedem videlicet Banalem relegata fuisset; Nihilominus tamen Alexander Mikulich, in quem causa eadem condescendisset, de facto etiam in Sede Comitatus Zagrabiensis prosequi eandem non desisteret; Ideo tam ex Testimonialibus Regni, quam etiam ex vi Decreti suae Majestatis superinde emanati et coram Regno producti, dicta causa ad Sedem Banalem articulariter rejicitur.

*Provisionem Militum Colapianorum et Banalium, aliarumque Munitionum, sua Majestas curabit.*

Articulus 73.

Defectum Militum Colapianorum et Banalium, nec non pulveris tormentarii, majorum et minorum Tormentorum, Mortariorum etiam ac alterius generis necessariam Munitionem; sua Majestas juxta benignam suam resolutionem clementer

\*) Confirmatur; An. 1659. a. 101. Ubi plura.

\*\*) Renovatur; An. 1659. a. 96.